

mes Mercurius Trimegistus de Verbo aeterno 41. loquens de Aesculapio & Hygiea
 viris, & Ofire muliere deificauit, & per illa idola adoratis: Contingit, inquit, ab Aegyptijs
 haec sancta animalia nuncupari, colique per singulas ciuitates eorum animas, quorum sunt
 consecrata viuentia a veterum legibus incolantur, & totam nominibus nuncupentur. Ani-
 mas autem passionibus videtur, & viuis deditur, dicit Plauto, 21. Titus. 6. poenis debitis pu-
 niendas, sicut superius tangebatur, qui & Aristoteles loquens de homine in bonitate, & honesta-
 te, & prudentia instituto, & de contrarie disposito, ita scribit: Si ad hunc statum accedat auxi-
 liantibusque prudentia honesta, moderatiorisque, diligentia, immunis omni perturbatione at-
 que aegritudine ducet vitam, si negligit, claudum nec vitam ferpens cum familiari demum stultitia
 reuocabitur ad inferna. Sed haec quidem nouissime proueniunt meritis iam vitae locatis.
 Haec insuper in libro suo de Legibus, siue de Republica, immortalitate animae iam asserta,
 affirmat consequenter fructum iustitiae & virtutum praecipue post mortem hominis expectan-
 dum, iniustitiae quoque dampnum. Quare & sic recitat Augustinus de Ciuitate Dei 22.
 Cleombrotus lecto libro Platonis, ubi de immortalitate animae disputauit, praecipuum
 dedit de muro, ut sic ab illa vita migraret ad eam, quam credidit meliorem. Quem & Aristoteles
 eius discipulus persequitur in De Secretario secretorum, tertia parte, 7. Si, inquit, anima sit
 perfecta & completa ante separationem eius a corpore, virtute vniuersali quae sublimatur per
 ipsam, & deducitur vsque ad supernam perfectionem, & tunc acquirit aliam regimen donec
 perueniat ad circulum seu firmamentum intelligentiae, cui bene complacuit. Si vero non,
 Anima dilabitur vsque ad abyssum infernorum, deinde recipit eam regimen sine spe placendi
 Deo. Qui etiam mortuos informans, & consolans suos discipulos contra mortis timorem,
 & de statu Animarum post mortem, sicut recitatur in libello de morte eius conscripto, 6. Sic
 ait: In primis interrogabo vos si consentimini & creditis in scientia Philosophiae quae continet
 omnes scientias, quod est vera, & qui inquit eam, inquit veritatem & rectitudinem, & gra-
 dus altissimos desiderios, & per eam est differentia inter homines, & alia animalia. Quibus
 consentientibus ita esse, secundum sic querit; Si ita est, sicut dicitis, bonumque prouenit homini
 vel prouenit homini in hoc saeculo in quo sumus hodie, aut post mortem in alio saeculo: Si
 vos dicitis, in hoc saeculo, in quo sumus priusquam moriamur, ergo gradus conuenientes sci-
 entiae non didicistis. Nam plures homines qui non ambulauerunt per viam rectam, nec cog-
 nouerunt Creatorem suum, fuerunt dies suos in bono; & annos in desiderijs eorum; & plu-
 res sapientes sunt qui multiplicati sunt in scientijs & intelligentijs, & didicerunt doctrinas, &
 cognouerunt Creatorem suum, & habent praeuationem boni & pacis. Et vos si turbati estis,
 & de morte timetis, quae est via & ingressus animae recedentis a corpore ignaro ad compre-
 hendendum gradus diuinos, & coniungendum se sapientibus animabus & laetis, non datis sci-
 entiae gradus suos nec rationes suas, sed demergimini in anima bestiali cum alijs bestijs. Ecce
 ex illis potest elici ratio prius facta, quod quia homines virtuosos non remunerantur sufficien-
 ter in vita praesenti, remunerantur in vita futura: cui & per totum penes librum inuenitur
 confidenter, ostenditque homines virtuosos, puta Philosophos studiosos, nequaquam pra-
 miam plenarie in hac vita, cum alijs omnimodis desiderijs & delicijs affluant in praesenti, & isti
 his priuentur, imo & multis tristitijs affligantur; praesertim cum felicitas seu beatus finis
 illis, perfectam dilectionem requirit, sicut praehabita manifestant, quod & ipsemet. Eth. 2.
 10. clare probat: Vnde 1. Eth. 13. Optimum, inquit, & pulcherrimum, & delectabilissimum
 felicitas. Et non diuersa sunt haec, secundum Delicam supercriptionem; Optimum, iustis-
 simum, desideratissimum autem sanum esse, delectabilissimum vero, quo quis optat frui.
 Omnia enim existunt haec optimis operationibus; has autem vel vnam harum optimam dici-
 mus esse felicitatem. Quare & in libello priori 7. alloquitur discipulos suos ita; Declaravi
 vobis quod homo non potest comprehendere scientias nobiles, nisi per gradus animae, quan-
 do est purgata, & perfecta, & sanctificata ab immunditijs. Et infra 8. Nescitis quod Philoso-
 phus purus & perfectus mortificauit omnia desideria sua in hoc saeculo, in comestatione, potu,
 & vestitu, & alijs delectationibus, & thesauris auri & argenti, & contempsit omnes delecta-
 tiones. Et infra; Sapiens despexit omnes delectationes corporales & odium, & perfectit ani-
 mam suam inquirendo scientiam Creatoris sui, qui de nihilo fecit ipsum ens: ipse est qui la-
 tari debuit in morte, quae est recessus animae a corpore. Nam quam utilitatem haberet ipse in
 vita, ex quo mortificauit omnes delectationes quae sunt despectae & viles? imo exultare debet
 in tempore quo anima sua approximat Creatori suo, & delectatur in claritate sua, quoniam
 non timet approximare se ipsi, nec inuenit contradictorem, nec repulso-
 rem.

A forē. Et adhuc infra 13. Beata inquit est anima, quae non est infecta prauis operibus huius mundi,
 & intellexit creatorem suum, & est ipsa quae reuertitur in locum suum in delicijs magnis, non
 tamen delectationibus corporis quae sunt despectae, & vix anima peccatrix, quae non habet
 virtutem, nec posse reduci ad locum suum, nec potest ascende in patriam suam, in qua tur-
 pia opera delectationis corporis impediunt ascensum eius sursum. Cuius doctrina scholares
 sectantes, ipso mortuo sic dixerunt; Ille qui recolligit animas Philosophorum, recolligat ani-
 mam tuam, & reponat eam in thesauris suis, sicut dignum est animam hominis directam & per-
 fectam sicut tu es, sicut finis illius libelli testatur. Similem quoque sententiam de Animabus
 mortuorum post mortem. Avicenna 5. de Anima 6. & 9. Metaphys. suae vlt. & Algazel 4.
 Physicæ suae vlt. & 5. Physicæ suae 1. concorditer proficiuntur. Quibus & concorditer Auer-
 roes, super illud Philosophi 1. Eth. 1. 6. de Felicitate, vt verè bonum & sapientem omnes existi-
 mamus fortunata decenter ferre, sic ait, vt dicitur de Job, Cui sit salus. Cur enim ei mortuo
 pro patientia seu fortunadine meritis optaret, & oraret salutem, nisi ipsum & similes mortuo-
 os saluandos speraret? Istis adhuc concorditer Sixtus Pythagoricus in sententijs suis ait,
 Immortales crede tibi permanere in iudicio & honores & poenas. Et iterum, Male viuentes
 cum è corpore excesserint cruciabitur malus Daemon, vsque quo exigit ab eis etiam nouissi-
 mum quadrantem. Beatus vir, cuius animam nemo reprehendit ad Deum pergentem. Et
 infra, Sapientem de corpore si quis extrudat inuitte, iniquitate sua beneficium ei praestat; ab-
 soluitur enim tanquam de vinculis. Et inferius, Qualia gesserit studia anima corpus inhabitans,
 tales habebit testes in iudicio; Immundam animam immundi Demones sibi vindicant.
 Hanc quoque sententiam & Italici Philosophi attestantur, Tullius, Seneca, Macrobius,
 Boetius, alique quam plures. Vnde & in Prologo Macrobij, super somnium Scipionis scri-
 bitur isto modo: Sic habeto, omnibus qui Patriam seruauerint, adauerint, auxerint, certum
 esse in caelo definitum locum, ubi beati aeterno sempiterno fruuntur; Nihil enim est illi princi-
 pio Deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptus, quam consilia
 caelestis hominum iure sociati, quae Ciuitates appellantur. Harum rectores & conseruato-
 res hinc profecti, huc reuertuntur. Inter doctrinas insuper & sapientias Prolomaei, 1. Aima-
 gesti Prologo primo scriptas, scribitur isto modo: In bono quod Deus operatur, quasi boni-
 tatem largi datoris attendere debes; & in malis aduersis quali purgationis & aeternae remunera-
 tionis bonitatem, quanto plus sim propinquas, tanto bonum cum augmento operare.
 Almazar: quoque 6. Maioris Introductionis differentia 26. agens de domibus planetarum,
 Domus, inquit, vocatur domus peregrinationum & motionis, fidei quoque atque
 operum bonorum, propter reuersionem eius ad locum significatorem esse secundum, quia na-
 rus dum egreditur de ventre matris suae, mutatur de loco in locum, & de esse in esse, & ex na-
 tura Saturni ad naturam Iouis, & ideo significat peregrinationem. Et sicut Iupiter est fortuna,
 & significauit ex fortuna seculi substantiam & durationem, atque abundantiam quem-
 admodum iam diximus, & fortuna futuri seculi quae fit per fidem; ideo significauit etiam fi-
 dem, & facta est huius domus significatio similis eidem significationi. Rursum etiam quia Iupiter
 & Venus sunt fortunae, & fortunariae sunt duae species, quarum vna est fortuna huius mundi,
 & altera futuri; & fortuna alterius mundi est dignior fortuna huius mundi, & ideo
 quaeritur per fidem. Et quia Iupiter est pius fortuna quam Venus, ideo facta est et significatio
 super fidem, per quam quaeritur fortuna futuri seculi, quae est dignior. & facta est vtriusque
 significatio super fortunas huius mundi, ex ludis, & gaudio, atque laetitia. Nonne & isti poste-
 riores Philosophi istam suam sententiam mutui videntur ab Antiquioribus Philosophis
 Hebraeorum, iuxta praemissa circa 35. partem? Pharisaei namque, referente Iosepho. 18. An-
 tiquit. Iudaicae 3. Iudicium Dei futurum esse sentiunt; Illic cunctos homines propria meri-
 ta recepturos, tam eos quidem qui secundum virtutem vixerint, quam illos qui peccata des-
 prauati sunt, animas autem immortales dicunt. Qui & 2. de bello Iudaico loquens de Iudas
 postus in tormentis, sic ait; In medijs cruciatibus subridentes, & eis qui tormenta admo-
 uerant, illudentes, constantes animos cum quadam hilaritate reddebant, scilicet quasi qui eas
 denuo essent recepturi. Et quidam bonis continentes in hoc Graecorum sententijs, pronun-
 tiant vltra Oceanum degere, ubi eis sit reposita perfruitio. Illic quippe esse regionem, quae
 nec in vrbibus, nec in vrbibus aggrauatur, sed quam Oceanus orientis Zephyrus, & le-
 niter aspirans amaret; malis autem animabus procellosa loca & hyberna delegant, plena ge-
 mitibus exercendarum sine fide penarum. Videntur autem mihi secundum hanc ipsam in-
 telligentiam, Graeci quoque fortibus suis quos Heroas & Semideos vocauerunt, beatorum
 Insulas sequerant, improborum autem animabus locum apud Inferos impiorum, in quo etiam
 cruciari quosdam commentum suum, Sisyphos videlicet, & Tantalos, & Ixionas, & Tityos.

Græci namque Heroas dicunt animas nobiles & benè meritas, in aère seu æthere superius habitantes. Vnde Iudorus 8. Eth. 47. ita scribit; Heroas dicunt à Iunone traxisse nomen; Græcè enim Iuno, *hæ* appellatur, & idèd nescio quis filius eius secundum Græcorum fabulam Eros suo nuncupatus, hoc videlicet mysticè significante fabula, quòd aër Iunoni deputetur vbi volunt Heroas habitare, quo nomine appellant alicuius meriti animas defunctorum quasi aëreas, & viros aëreos & coelo dignos propter sapientiam & fortitudinem. Hanc quoque Græcorum sententiam fabulosam tangit Aristoteles 4. Phys. 97. vbi docet, Quòd non percipientes motum, non percipiunt tempus, sicut neque qui in Sardo fabulantur dormire apud Heroas cum expergiscuntur: Nec debet turbare quòd istud fabula feribetur; Non est enim hæc fabula quæ tam narratione quàm significatione sit ficta & falsa, sed quæ sub narratione metaphorica, tropica, figurata, Rhetoricæ gratia, vult aliquod verum factum mysticè nuntiare. Hæc enim fabulæ species videtur congruere Rhetoricis, & Poëtis. Multi namque viri probati poeticas fabulas ad intelligentiam solidam exponebant. Quis etiam nesciat illas famosas, Aelopicas, & Libicas fabulas sensum præclarum mysticè continere, sicut Papias in Elementario suo & Iudorus 1. Eth. 95. Aristoteles 2. Rhetor. 25. & alij alibi contestantur. Quare & secundum Philosophum vbi prius; Fabula est quædam species persuasionis Rhetoricæ, distincta contra parabolam è diverso: vbi & primo recitat vnã fabulam Libicam, qua Stesichorus dissuadet Imeteris volentibus eligere Imperatorem extraneum in ducem sui exercitus contra hostes, dixit, inquit, fabulam, Quomodo equus obtinebat pratum solus: Adueniens autem ceruo & corruptente pascua, volens punire ceruum, interrogabat quendam hominem, si posset cum ipso punire ceruum; ille autem ait, si acceperit stratum, & ipse ascenderit super eum, habens lanceam. Cum consensisset autem, & ascendisset pro eo, ut puniret, ipse seruiuit iam homini. Ita autem & vos, ait, Videte ne volentes aduersarios punire, idem patiimini cum equo stratum: Quid enim habetis iam eligentes ducem exercitus Imperatorem? Vbi & mox aliam speciem fabulæ subdens, ait, Aelopus autem in Samo populum alloquens, cum iudicaretur Rector populi ad mortem ait, Vulpem transeuntem fluium propulsam fuisse in lacunam, & cum non posset exire, multo tempore affligebatur, & muscæ caninæ multæ hærebant ei. Ericus autem errans vt vidit eam, miseratus est, interrogauitque si auferat ab ipsa muscæ caninas, eum autem non permisit. Quarentem autem propter quid, dixit, Quia istæ quidem iam de me plenas sunt, & medicum trahunt sanguinem; si autem has abstuleris, alie venientes famelicæ epotabunt meum reliquum sanguinem. Ita & vos viri Samij, iste quidem nihil amplius noceret, diues enim est: si autem occideritis eum, alij venient pauperes, qui vos absorbent reliqua furantes. Sunt autem fabulæ conuociales, & habent bonũ hoc, quia negotia quidem inuenire similia facta, difficile; fabulas autem facilius: Facere enim oportet, sicut & parabolam, si quis poterit simile videre, quod quidè facere est ex Philosophia. Quare & in prologo Metaphysicæ suæ ait, & Philomythus Philosophus aliquid est. Annon & Poetria Philosophi similia clarè docet; Nonne & 1. Meteor. vlt. exponit fabulam ænigmatizantium Oceanum circulariter fluere circa terram de vapore sublimato superius ascendente & ingrossato inferius descendente? Nonne & idem in de mundo vlt. fabulam illam famosam de tribus foronibus fatalibus, quæ communiter appellantur Cioro, Lachesis, Atropos, ad verum intellectum de Deo exponendo, sic ait; Perciditur autem & fabula non inordinatè. Sunt autem hæc omnia nihil aliud nisi Deus, quemadmodum & strenuus, ait Plato. Nonne & in prologo Timæ. Plat. 5. ista Ouidiana fabula de Phaetonte exponitur in hæc verba; Illa etiam fabula quæ nobis quoque comperta est, Phaetontem Solis filium affectantem officium Patris, ascendisse currus luciferos, nec seruatis solennibus aurigationis orbitis, exussisse terrena, ipsumque flammis coelestibus conflagrasse. Fabula quidem puratur, sed est verum. Fit enim longo interuallo mundi circuitiois exorbitatio, quam inflammationis vastitas sequatur necesse est; quam & Aristoteles in de mundo 12. licet breuiter simili modo intelligit & exponit. Quare & Macrobius super somnium Scipionis: Nec, inquit, omnibus fabulis Philosophia repugnat, nec omnibus acquiescit, & vt facile fecerim posset, quæ ex his à se abdicat ac velut profana ab ipso vestibulo sacre disputationis excludat, quæ verò etiam sæpe ac libenter admittat, diuisionis gradibus explicandum, quod & ædum vna diuisione diffusè profequitur, sed & multis rationum autem non impertinetur de fabulis sufficienti factum esse. Per præmissa autem facile potest cognosci, quomodo etiam Philosophi Aegyptij, Hebræi, Græci, Arabici, & Italici, seu Latini, præmiationem & punitionem animarum post mortem concorditer profitentur. Quibus & concordanter communitas Poetarum Græcorum & Latinorum similem remunerationem bonorum & malorum post mortem supponit. Dicunt enim bonos & nobiles quosdam, puta Saturnum, Iouem, & similes fieri deos post mortem, quosdam verò

transferri

A transferri ad deos, & manere cum eis; malos verò affirmant ad inferna demergi, & poenis infernalibus cruciari. Ponunt enim 4. seu 5. flumina apud Inferos fluere, in quibus Anima torquantur, quorum quoddam sit ardens; quoddam algens, quodlibet autem propriam poenam habens, sicut libri Poetici sæpè monstrant; hæc autem apud Poetas, Styx, Phlegeton, Cocytus seu Cocytus, & Acharon, atque Leches seu Lethes communiter nuncupantur. De quibus Ebrandus Bitunienfis in suo Græcismo, inter nomina græca dicit, Styx, odium, Lethes, obliuio; sed Phlegeton, ardens; cocytus, luctus; triste sonat Acharon, quæ & ab alijs alibilibatibus exponuntur. Lethes tamen à quibusdam idcirco obliuio dicitur, eo quod quicumque apud Inferos ex eo potauerit, statim obliuiscitur: *omnium* & ad superos iatus vadit; qui fortassis non ineptè significat fluium diuinæ clementiæ, quo anima purgata plenariè, vilitate ab omni tristitia liberantur, & ad gaudia coelestia transferantur. Nonne & sicut tangit Ambrosius de bono mortis, Poetæ fabulantur malos apud Inferos sustinere latratus Cerberi, & Cociti fluminis tristem voraginem, Charontem tristitorem, furiarum agmina, aut prærepta carcere, tum quibus hydra satior sedem habeat, tum quoque viscera reparandis fecunda supplicij. Ibi vultur immanis sine vilo sine depascitur, Ixionique orbis perpetuam sub pena atrocitate vertiginem, tum faxi desuper imminentis super capita accumbentium inter epulas impendentem ruinam. Cerberus autem secundum Poetas est canis Inferni capta terrore habens, Charon portitor Inferni; Furæ verò dicuntur Deæ Infernales, quæ & Lunicandæ appellantur, Alecto, Tisiphone, & Mezgera. Hæ tres foeminae esse finguntur cruenta serpentinibus; Hydra serpens nouem capitum horrendorum, quorum vno succiso, tria succrescunt; Ixion sicut dicitur postquam peijus illicitos amplexus Iunonis ad rotam serpentibus apud Inferos est ligatus; Reliqua verba fabulæ huius patent, in qua nihil à mysterio alienum.

Amplius autem homo sufficienter præmiatur pro bonis operibus in præsentia, quod est illud præmium, quæ merces, quod bonum? dicitur fortassis quod bonitas essentialis inseparabiliter consequens actum bonum; & hæc sententia videtur posse colligi ex verbis Philosophi 9. Eth. 9. dicentis, Iuuabitur ipse bona agens, & alios iuuabit; Omnis enim intellectus eligit optimum sibi ipsi; Epicuræ autem obedi: intellectui. Verum enim quod de studio, & Amicorum graua multa agere & patriæ etiam, si oporteat mori. Projiciet enim & pecunias & honores, & totaliter circum pugnabilia bona, procurans sibi ipsi bonum. Paucum enim tempus delectari valde magis eliget vtique, quam multum quiete & viuere bene annum, quam multos annos qualitercunque; & vnã actionem bonam & magnam, quam multas & paruas. Morientibus autem & hoc forte accidit. Eligunt vtique magnum sibi ipsi, & pecunias projiciunt vtique in quò plura recipient amici. Fiant enim quidem amico pecuniaz, ipsi autem bonum, maius autem bonum sibi ipsi tribuit. Sed istud refellitur per præmissa, circa proximam partem huius, & quia tunc similiter quilibet malus actus sufficienter puniretur per realitatem inseparabiliter comitantem, contra prius ostensa circa proximam partem huius. Quomodo etiam iustus Deus qui secundaria trigessimam partem huius vult se diligi & coli ab hominibus super omnia, Ita videlicet quod pro quantisconque bonis in nullo scienter ipsum offenderent, pro tanto amore, pro tanto seruitio tam modicum eis reddet contra 31^{am} partem? Quomodo insuper verax Deus, qui secundum eandem 30^{am}, vult se diligi & coli ab hominibus, super omnia propter seipsum finaliter, non seipsum sed aliud finalis & beatificum præmium eis reddet, iuxta prius tacta in ostensione trigesimalis secundæ partis istius? Nec bene operans sufficienter præmiatur per delectationem operationis suæ connectam, cum illa sit minus bona, quam bonitas essentialis & moralis inseparabiliter eam tequeas, sicut nullus ignorat, sicut & ostendit præmissa circa trigessimam primam partem. Nonnunquam insuper meliorem operationem minor delectatio comitatur, forsitan autem nulla, sicut videtur de operationibus fortitudinis, passionibus quibusdam, sicut & Aristoteles 3. Eth. 18. testatur expressè. Vnde etiam tunc mala operatio delectabilis, & peccatum sufficienter punitur? Hæc quoque responsionum luncula reprobabitur sicut prior: Neque habilius operans sufficienter præmiatur, per alias voluptates, aut delectationes alias corporales, cum illæ sint minus bonæ bonitatibus & delectationibus alijs supradictis, quæ minus sufficere comprobantur. Multi etiam virtuosissimi huiusmodi voluptates reagiunt, aduersitates plurimas sustinent, prosperitates non habent, nec delectationibus huiusmodi potiuntur imò & minus virtuosissimi ac maxime virtuosissimi, in huiusmodi voluptatibus maxime voluntant, aduersitates non sciant, prosperitates affluunt, & delicijs perfruunt, sicut & bestia effrenata. Hi ergo tam bestia quam homines bestiales beatiore videntur hominibus virtuosissimis. Nonne & secundum hic præmissa beatitudo siue felicitas est præmium finale virtuosoperis, seu hominis virtuosissimi? Hæc autem non constat in porcorum spurcitijs, & voluptati-

omnem partem

bus

bus Epicuri, sicut præmissa circa trigessimam secundam partem huius ostendunt. Potest A
quoque responsiuncula ista reuelli facilliter per ea quæ prima. Adhuc autem nec bona exteriora
fortuna sufficienter præmiat virtuosum virtuosè agentem; Bonitas namque essentialiter
consequens actum bonum, omnibus exterioribus bonis præstat, sicut potest haberi ex ostensionem 31. partis, & hæc nequaquam sufficienter præmiat virtuosum, sicut superius monstra-
batur. Virtus quoque moralis, & operatio virtuosa, diuitiis, possessionibus, dominationi-
bus, honoribus, & cæteris bonis exterioribus incomparabiliter melior comprobatur, sicut
nullus rectè philosophantium distinetur. Quomodo ergo per ista plenariè præmiatur, præser-
tim à Deo, qui non parcè præmiat, sed abundè, teste 31. parte? Nonne & Aristotele iudice, 4.
Eth. 7. Hecor est maximum eorum, quæ exteriori sunt, bonorum; quare & ipsemet in eco-
nomica sua dicit; Quod maxime grauius quisque fert, honore suo priuatus. Quamobrem
& in Ethicis, ubi primò dicit; Quod virtutis præmium est honor; Sed quam impropor-
tionale præmium, quam vmbatile, quam inane, quam dispar compensatio, quam inferior mer-
ces sit honor respectu virtutis, & operis virtuosè quis nesciat? Quare & idem Philosophus 4.
Eth. 8. Virtuti, inquit, perfectæ non vti que fiet dignus honor. Multa quoque sunt opera vir-
tuosa secreta, non patentia notitiæ alienæ, quibus non redditur dignus honor. Hæc etiam
resolletur vt prior: Certum est enim felicitatem seu beatitudinem esse finale præmium virtu-
osi, & hanc in bonis huiusmodi non constare. Quare & Auerroes cum suis sequacibus dicit;
Faciliorem humanam consistere in scientijs speculatiuis adeptis: In prologo namque super
1. Phys. sic ait; Esse hominis secundum vltimam perfectionem eius, & gratia eius perfecta
est, ipsum esse perfectum per scientias speculatiuas, & ista dispositio est sibi: felicitas vltima,
& superna vita cum hac scientia. Sed ista responsio potest corrigi, vt priores. Præterea con-
stat felicitatem nedum esse bonum sed optimum, & hoc non accidentaliter, sed essentialiter
& per se; perfectio autem per speculatiuas scientias, non est talis. Multi namque in scientijs
speculatiuis perfecti esse possunt, & sunt inhonesti, & mali, sicut ratio & experientia manife-
stiant: & Auerroes in prologo super 1. Phys. & 8. planè concedit. Sed hac perfectione melior
est perfectio per virtutes morales, heroicæ, seu diuinæ. Non enim latet te Auerroes, Aristotelem
dicere tuum, 7. Eth. 1. scribere isto modo; Ad bestialitatem autem maxime vti que congruit
dicere super nos virtutem heroicam quandam & diuinam, quemadmodum Homerus
de Hector fecit dicentem Priamum, quoniam valde erat bonus, neque videbatur viri mortali-
s puer existere, sed Dei. Quare si quemadmodum aiunt, ex hominibus sunt dii, propter vir-
tutes superexcellentiæ talis, vti que quidam erit videlicet bestialitati oppositus habitus. Vir-
tutes autem morales heroicæ seu diuinæ non sunt speculatiuæ tantummodò, sed practicæ, seu
actiuæ, seu vti que operose. Quare & idem Philosophus 10. Eth. 1. 3. planè docet; Quòd pro
felicitate intendendum ad opera & ad vitam; & subdit; Secundum intellectum autem ope-
rans, & hunc curans, & dispositio optimè, & Dei amantissimus videtur esse. Si enim qua-
dam cura humanorum à diis sit, quemadmodum videtur, & erit vti que benè rationale, &
gaudere ipsos optimè & cognauissimo: hoc autem erit intellectus, & diligentes maxime hoc,
& honorantes, & rebeneficiare vt amicis ipsis curantes, & rectè & benè operantes. Quam
autem hæc omnia sapienti maxime existunt non immanifestum; Deo amantissimus ergo, eun-
dem autem conueniens & felicissimum. Super quod & tu Auerroes; Si, inquis, cura sit deo
de hominibus, vt credit, & vt debuit est, gaudet de meliori, & dignus est vt beneficiat eis
qui amant eum plus, & honorificet eos & visite eos, sicut est dispositio amici cum amico. Vbi
& infra 14. Philosophus ita scribit; Non est in operabilibus finis speculati singulari, nihil vti
que de virtute sufficienter scire, sed habere & vti tentandum, vt si aliquo modo boni timis, & su-
pra 21. 2. Quoniam presens negotium non contemplationis gratia est, quemadmodum alia,
(non enim, vt sciamus, quid est virtus, scrutamur, sed vt boni efficiamur, quia nullum vti que
esset proficuum eius) necessarium est scrutari ea quæ circa operationes, qualiter operandum
est eas; hæc enim sunt dominæ, secundum rectam igitur rationem operari commune. Quare
& pater Philosophorum Hermes de Verbo æterno 14. docet; Quòd vera Philosophia in cog-
noscendo diuinitate, & sancta diuinaque religione consistit; & subdit; Qui igitur homines
post nos erant, sophistarum calliditate decepti à vera scientia puraque Philosophia auertentur;
simplicem enim mente & anima diuinitate colere, eiusque facta venerari, agere etiam
Dei voluntati gratias, quæ est bonitas sola plenissima, hæc est nulla animi importuna curiositate
violata Philosophia. Sixtus quoque Pythagoricus in sententijs suis; ait; Intellige quæ
sint bona, vt benè agas. Quis etiam nesciat, cum queritur; Qualis sit homo? & respondetur
simpliciter; Bonus vel malus? quod intelligitur de bonitate vel malitia moris & vitæ, non sci-
entia, aut ignorantia speculatiuæ; sed ibi quòd est bonus Philosophus, aut bonus Clericus,
respon-

A respondetur. Quòd & videtur Philosophum superius inuuisse; cum dixit; Non vt sciamus
scrutamur, sed vt boni efficiamur. Quis insuper (quæso) iam sciens, vt in multo decepti-
atur, aut erret, vt omnia, quæ vult, sciat & perfecte; vt eius desiderium in omnibus quietetur,
& plenariè satietur? Hæc enim felicitas, exigit, & beatitudo requirit, sicut præmissa testantur.
Quis insuper scientiarum, totus tam beatus & felix in vita præsentis, quod etiam in anima
& in corpore, & eorum potentijs plena beatitudine, sine labore & dolore, sine defectu & mi-
seria, sine repugnantia aut discordia perfruatur? Nonne proficiente anima deficit corpus &
potentia corporales? Nonne proficiente corpore deficit anima & languescit? Nonne inter
corpus & animam continua discordia perfruatur? Quomodo ergo his ita se habentibus, totus
homo perfecte beatus, & non miser potius vitandus? Quæ etiam secundum istam
sententiam esset miseriam, vitiosorum? Vel deceptio contraria vera scientia, & tunc maiores
Philosophi propter suam contradictionem multiplicem miseriores sunt bestijs, hominibus
bestialibus, & simplicibus idiotis; vel simplex carentia seu ignorantia scientia. Et sic vti-
o-
B-
sissime operans nec quicquam addicens, & simpliciter nihil addicens nec operans quicquam
mali, æquali miseria subiacerent. Si etiam scientia speculatiua esset per se & essentialiter fi-
nis, felicitas, & beatitudo humana, videtur quod homo deberet seu posse per quæcum-
que media sibi possibilia, deficientibus alijs acquirere illum finem, etiam per peccatum. Non-
quid etiam soli Philosophi speculatiui & nulli alij, quantumcumque moraliter & deiformiter
virtuosi, felicitabiles seu beatificabiles reputandi, cum felicitas sit bonum commune & magis
cuiuslibet hominis naturalis, cum etiam multi tales magis ament Deum & colant, & magis
obseruent legem diuinam, & regulam rationis? recolat quæso Auerroes dicta sua, & Aristote-
lis præmissa. Quamobrem & aliquis fortè dicit quòd virtus moralis siue heroica, vel eius
augmentum sufficienter præmiat opera virtuosa. Sed ista responsiuncula sicut prima harum
& proxima castigatur. Nihil etiam sufficienter præmiat hominem nisi felicitas, sicut præ-
missa testantur. Hæc autem non consistit in habitu, sed in actu, cum actu, cum actu perfectior
habetur potentia versus bonum, sicut nullus ignorat, & ostensio prima Suppositionis, ac
multi Philosophi attestantur; quòd & Philosophus, 1. Eth. 12. clarè probat; Et intra eius-
dem vlt. dicunt nihil differre secundum dimidium vitæ felices à miseris. Contingit autem
hoc decenter, quies enim est somnus animæ, secundum quòd dicitur studiosa & praua; Quæ
propter fortaliter & aliquis has ambas virtutes intellectuales & morales coniungit, dicens in
ambabus coniunctam felicitatem consistere, per quam homo plenariè præmiatur; & sic
Auerroes in Prologo super 1. Phys. Aristotelis sensisse videtur. Sed ista, vt priores & proxima
repellitur. Ideo forsitan quisnam dicit, non habitum virtuosum, sed actum esse felicitatem
& beatitudinem hominis consummatam, & præmium eius plenarium, & perfectum in vita
præsentis; & sic videtur Aristoteles opinari. Sed ista responsiuncula reprobabitur, sicut prima,
& alia subsequentes. Nonne & actus quilibet virtuosus in statu præsentis est liber, laudabilis,
& meritorius præmij & melior melioris. Quòd ergo præmium illius actus beati & felicitas?
D Non ipsemet; Constat, & præcipuè quia aliud pura Deum finaliter intendebat, secundum
documentum 30. & quia secundum 31. huius; Deus nullum parcè remanerat, sed abundè.
Nec alius, quia sic processus contingeret infinitus. Quæ propter Aristoteles & Auerroes sub-
tilius, & veritatè propinquius cogitantes, dicebant felicitatem humanam consistere in con-
iunctione seu copulatione eius cum intellectu agente in vita præsentis, hec tempore paruo
durat. Vnde Aristoteles 12. Metaphys. 38. loquens de primo principio à quo coelum &
natura dependet, sic ait; Deductio qualis optima paruo tempore nobis; sic semper illud est
nobis quòd est impossibile; super quòd Auerroes, Ex hoc quidem apparet benè quòd Aristote-
les opinatur quòd fortuna hominum, quòd sunt homines, non est nisi per conuatiatio-
nem eorum cum intellectu, quem declaratum est in libro de Anima esse principium agens &
mouens nos. Intelligentiæ enim abstractæ, in eo quòd sunt abstractæ, debent esse principia
eorum, quòd sunt principia, duobus modis; secundum quòd sunt mouentes, & secundum
quòd sunt finis. Intelligentiæ enim agens in quantum est abstracta & principium nobis, ne-
cesse est vt moueat nos, secundum quòd amatum amans; Et si omnis motus necesse est vt con-
tinuetur cum eo, à quo fit secundum finem, necesse est vt in postremo continuemur cum hoc
intellectu abstracto, in quòd erimus dependentes à tali principio, à quo coelum dependet;
quamuis hoc sit in nobis modo tempore, sicut dixit Aristoteles; qui & supra 18. sententiam
similem huic tradit. Qui etiam super tertia de Anima. Comment. trigessimò sexto sic
scribit; Necesse est vt intellectu agens copuletur nobiscum, per conuatiationem intel-
lectorum speculatiuorum, & manifestum est quòd cum omnia intellecta speculatiua fue-
rint existentia in nobis in potentia, quòd ipse erit copulatus nobiscum in potentia, &
cum

cum omnia intellecta speculativa fuerint existentia nobiscum in actu, tunc erit copulatus A
nobiscum in actu, tunc erit ipse copulatus secundum partem, & secundum partem non, &
tunc dicuntur moveri ad continuationem, et manifestum est quod cum ipse motus complebitur,
statim ille intellectus copulabitur nobiscum omnibus modis, & tunc manifestum est quod
proportio eius ad nos in illa dispositione, efficitur dispositio intellectus, qui est in habitu ad
nos, & cum ita sit, necesse est ut homo intelligat per intellectum sibi proprium omnia entia, &
ut agat scienter sibi propriam in omnibus entibus, sicut intelligit per intellectum qui est in
habitu, quando fuerit continuatus cum formis imaginabilibus, omnia entia in intellectu propria.
Homo igitur secundum hunc modum, ut dicit Themistius, assimilatur Deo, in eo quod
est omnia entia quoquo modo, & sciens ea quoquo modo. Entia enim nihil aliud sunt, quam
scientia eius: Nec causa entium aliud est nisi scientia eius, & quam mirabilis est iste ordo, &
quam extraneus est iste modus efficiendi. Verum si haec felicitas hominis tempore parvo du-
ret, ut dicitur, & sicut necessarium est dicendum, cum omnes homines philosophantes & alij
experiantur certissime se carere felicitate huiusmodi penè toto tempore vitae suae, nisi fortassis
secundum vestram sententiam in ultimo vita momento potentis corporis quasi extin-
ctis, & ipso iam penè alienato à corpore in extasi, sincopi, seu in raptu, quomodo sufficien-
ter compensatur laboribus & operibus hominis virtuosus toto tempore suo gestis per centum,
quingentos, milleve annos: quomodo tanta strenuitas, tanta poenaltas, tanta diuturnitas
tam brevi stipendio praemiat: praesertim à Deo, qui secundum praemissa semper ultra con-
dignum remunerat & abundè, qui & posset facillimè ipsum quantumlibet amplius praemiare
in vita praesenti, anticipando hoc praemium, vel continuando vitam praesentem vteribus; vel
in vita futura secundum 37^{am} & proximaam partem huius. Nunquid decet quod homo prin-
ceps terrenus, militem pro ipso & ipsius honore toto suo tempore, annis quam plurimis stre-
nuissime militanti, lucra & delicias contemnentem, famem & sitim, ætus & gelu, verbera,
vulnera, vincula, carceres, & poenas omnimodas forsissime sustinentem, momentanea tan-
tum delectatione reficiat, momentanea tantum mercede remuneret, & coronam tantum mo-
mentaneam ei reddet, praesertim si ea quae facillimè posset cum quantumlibet amplius praemiare?
nequid hoc congruit viro bono? nunquid hoc congruit viro iusto, clementi, potentati,
remuneratio, benefico, magnifico, liberali, aut largo? & non potius viro parco, *kimbils* &
tenaci? Deus autem in omnibus conditionibus virtuosas excedit quemlibet hominem infi-
nitè, sicut prima Suppositio, tertia pars, & quarta demonstrant. Quomodo insuper talis
Princeps per tale momentaneum praemium sufficienter militem animaret, & desideria excitaret
ad tantos & tam diuturnos labores, ad tam arduosam & periculosam militiam tam longis
temporibus strenuè exercendam? Quomodo igitur Deus suos? Quomodo etiam praemium
tantillum, tam fluxibile & tam breve, tanto compensatur amori, quanto doctus artis amandi
in schola patris 35^o Deum amat, quo super omnia cogitabilia eam amat, in tantum quod pro
nullis bonis aut malis delectabilibus aut tristabilibus quantumlibet quanta libet diuturnis,
etiam per tempus æternum, nullo modo scienter ipsum offenderet, servitium debitum omit-
tendo, aut displicentiam aliquam committendo; praesertim cum Deus remuneret quemlibet
secundum qualitatem & quantitatem sui servitii, operis, & amoris, & non parca, sed large,
secundum 31^{am} partem, sicut & ostensio proxima partis tangit. Nonne & sicut quilibet
naturaliter appetit bonum, & maius magis, ita & appetit bonum durabile diuturnum, & durabi-
lius seu diuturnius magis, & quanto bonum fuerit melius siue maius, tanto amplius appetit
illud diuturnius permanere, quomodo ergo iste appetitus beati, beatitudinè tam transitoria
vix horatia aut momentanea laetatur? aut quomodo erit beatus, dum non plenarie satiatur,
sed esurit, sitit, & appetit, quod non habet, nec est in perpetuum habiturus, sicut praedicta
etiam testante Aristotele docuerunt. Item talis beatus seu felix, vel scit se tantum bonum bea-
tificum amissurum, vel credit contrarium, vel neutrum considerat. Si scit quod amittet, vide-
tur quod dolet. Quis enim de amissione irrecuperabili tanti boni non doleat, cum de similibus
one minoris boni dolet? Nonne & tu Aristoteles 3. Ethic. 18. loquens de forti, sic ait;
Quanto virque virtutem habeat omnem, & felicitior sit, magis in morte tristitia erit. Tali
enim maxime vivere dignum, & ille maximis bonis priuatur ieiens; triste autem hoc: vel sal-
tem non gaudet perfecte. Plenius enim gauderet, si sciret, aut crederet illud bonum mansu-
rum. Quare non videtur perfecte beatus, cum beatitudo perfecta perfecte continet cuncta
bona ad beatitudinem requisita, cuiusmodi gaudium esse constat. Si credit contrarium, deci-
pitur turpiter non circa impertinens, sed circa maximum, & proprium bonum suum. Quo-
modo ergo felix, qui falsa spe decipitur, tanto malo laetatur, tali errore excatur, & tanta tur-
pitudine maculatur? Quomodo etiam perfecte beatus nescit se bonum suum beatificum a-
missurum,

A. missurum, cum tu non beatus, hoc scias? cum etiam secundum te Averroes, Beatus tunc
sciat omnia, sicut Deus. Si neutrum considerat, quomodo scit omnia? tu etiam, non beatus,
scis quod perdet beatificum bonum suum, cur ergo non scit ipse beatus? Quomodo insuper
verisimile estimandum quod de tanto bono suo nihil consideret, an illud amittere debeat,
inamissibiliter tenere, cum sapiens de bonis minoribus consideret hoc frequenter, cum etiam
securitas, et tenendi bonum beatificum acquisitum, tam desiderabiliter concupitum, tam lætè
adeptum, tam amorosè possessum, lætissima & beatissima eius portio videretur? Nonne &
felix, nisi forte per naturalissimam mortem decesserit, sicut paucissimi vel nulli decedunt,
ante mortem dolorem & tristitiam sustinebit? Quomodo ergo tunc felicitas, & non mi-
seria potius expectanda? Amplius autem, si beatificum praemium hominis expectare-
tur in vita praesenti, nullus unquam iuuenis, & uniuersaliter nullus beatitudinem non
adeptus, deberet rationabiliter exponere se morti scienter pro conseruatione "religionis" legis
diuinae, pro defensione Reipublicae, pro saluatione parentum seu amicorum, & uniuersaliter
ex causa quacunque. Quis enim debet rationabiliter perdere seu non acquirere ma-
ximum bonum suum pro nullo bono, vel pro bono minori, pro paruo forsitan virtutis aug-
mento momentaneo in praesenti, aliouè bono quocunque? Quis etiam nesciat beatitudinem
omne aliud bonum humanum excedere? neque etiam felicitatem adeptus ex quacunque cau-
sa deberet se morti exponere; quia sic faciens, per tristitiam vulnerum, & per anticipationem
mortis, beatitudinem suam lætam, & maximum bonum suum minueret, & curaret? Nonne
tu Aristoteles 3. Eth. 18. Percuti, inquit, dolorosum si carnale, & triste, omnis labor tale est, &
quod circa fortitudinem, mors quidem & vulnera tristia forti: sed qua ratione nisi nimis irra-
tionabili debet homo deteriorare seipsum, facere seipsum minus bonum & omnino non
bonum? Nonne & cuiuslibet animo iudicante, & te Aristotele attestante, Omnis actus
& electio bonum quoddam appetere videntur; ideo bene conuauerunt bonum, quod
omnia appetunt: quomodo intellectus eligit optimum sibi ipsi, & illud cuius causa agen-
da sunt singula, est bonum vniuersumque; totaliter autem optimum in natura om-
nium: quare & de liberali sic scribis, Si autem praeter optimum & bene habens con-
tingat ipsum consumere, tristabitur. Nullus ergo omnino pro causa quacunque de-
beret se morti exponere, periculose mortali. Quis igitur erit fors pro religione
aut lege diuina, pro Republica vel amicis fortiter dimicabit? Quomodo efficaciter
prouocabitur quispiam ad strenuè militandum; ad mortem si oportuerit sustinendam,
si mortem omnia bona perdat, nec vilam mercedem post mortem recipiat in æternum?
Non sic sensit Hermes de verbo æterno, non sic sensit Plato de legibus siue de Republica, non
sic sensit Varro, non Tullius, non Macrobius, nec aliquis alius Reipublicae sapiens institutor
aut rector, nullus sic sensit; nisi qui insensatis consensit. Nonne & tu Aristoteles 9. Eth. 9. af-
firmas, quod studiosus amicorum & patriæ gratia, si oporteat, debet mori? Nonne & 3. Eth.
agens de fortitudine idem doces? sed quomodo potest que efficaciter exhortari timidos mor-
tis, desides, & vecordes ad strenuè militandum, ad mortem non timendum, sed ipsam si oportet
alacriter sustinendam, si nulla merces vel parca in praesenti ipsis reddatur; imo etiam mori-
endo beatitudinem quam habuerant, & beatitudinis possibilitatem, & omnia bona perant,
absq; vlla spe retributionis futuræ? Absq; tam miseram inopia, & tam inops miseria à terri natura,
ab uniuersitate entium, à magnâ Reipublica magni mûdi, à potentissimo & copiosissimo, & largis-
simo principe ampli mundi; Absq; quod Deus suos amabiles amatores, suos strenuos milites,
sua iniuriz defensores, pro ipso, ipsius honore, religione, & lege, pro iustitia & conseruatio-
ne Reipublicae diuinitus iultrutz, vsq; ad mortem inflexibiliter dimicantes sic remuneratos
abijciat & contemnat, propter trigulam primam partem? Nec ipsos sufficienter remunerat
in praesenti, faciet igitur in futuro. Adhuc autem beatificatio illa quam ponitis est nimium
diminuta, quoniam est perficiat hominem secundum animam, non tamen secundum cor-
pus: Corpus enim tunc deficit, & potentia corporales. Illa quoque felicitas secundum ve-
stram doctrinam est actus humanus, & non necessarius ut videtur sed liber, cum sit actus no-
bilissimus hominis, potentia nobilissima rationalis, quæ & vobis dicentibus valet ad oppo-
sita. Videtur ergo laudabilis, & meritorius praemij, sed cuius? quod est illud praemium? quæ
merces? non ipsa eadem felicitas, idem actus; constat: nec felicitas alia, ne forte processus in
felicitatibus accidat infinitus: nec quicquam aliud in praesenti; quid enim? videtur quoque
hominem in extasi positum non habere liberum vsu sui: Nonne & tu ipse Averroes, super 12.
Metaphys. comment. 18. Si, inquit, iste intellectus denudetur apud perfectionem humanam
à potentia, necesse est ut destruat ab eo hæc actio, quæ est alia ab eo, & tunc aut non intelli-
gemus omnino per hunc intellectum, aut intelligemus secundum quod actus eius est substantia eius

neque est, & impossibile est ut in aliqua hora non intelligamus per ipsum. Relinquitur igitur cum A
 iste intellectus fuerit denudatus à poenâ, ut intelligamus per ipsum secundum quod actio est
 substantia eius, & est vitiosa prosperitas. Si etiam talis felicitas sit finale premium hominis
 virtuosus, quæ finalis miseria sine poenâ hominis vitiosi? non sola privatio felicitatis istius;
 sic enim virtuosus & neuter essent æqualiter miseri deputandi, & æquali poenâ plectendi. Quid
 igitur aliud? Nonne & illi qui maximè iungebantur cum principio cæli & naturæ, cum intel-
 lectu agente, cum Deo in vita præsentis, erant illi præclari & famosi Prophete, qui cum Deo,
 & per Deum, quasi Deus quodammodo, omnia vel plurima mirabilissimè peruidebant, &
 vita alijs non videncibus propheteabant, sicut superius tangebatur, vnde & videntes & Pro-
 phete antiquitus dicebantur? ipsi autem concorditer attestantur vitam futuram, præmia &
 supplicia secundum differentiam meritorum. Poteest quoque ista responsio corrigi ut priores.
 Sed auscultate quæso! Auerroes specialiter vnum verbum. Nonne cum dicis, Cum omnia in-
 tellecta speculatiua fuerint in nobis in potentia, intellectus agens erit copulatus nobiscum in B
 potentia; & cum quædam fuerint in nobis potentia, quædam actu, tunc ipse copulabitur nobis
 secundum partem, & secundum partem non, & tunc dicitur moueri ad continuationem;
 & cum iste motus complebitur, cum videlicet omnia intellecta speculatiua fuerint nobis
 in actu; tunc ipse erit copulatus nobiscum in actu, omnibus modis. Nimis manifestè
 quod prius natura habeat homo omnia intellecta speculatiua secum actualiter copulata,
 quam intellectus agens copuletur cum eo, & hanc esse causam copulationis istius. Sed hoc
 est impossibile manifestum, sicut ostensio 32. & 36. patet perspicue demonstrat. Hoc enim
 necessario esset per actus aut habitus infinitos, & infinites infinitos, imò & infinites infinitis
 sine fine. Quod eriam astruis, hominem scire tunc omnia, quis est hic? quis cunctis retroactis
 temporibus fuit talis? quis vnquam inuentus est talis? quorū gloriosi Philosophi præcesserunt,
 sed quis eorum inuentus est talis? Nonne Aristoteles deus tuus & Philosophorum claris-
 simus, isomet teste, quadratum circuli ignorauit? Nonne & alia plurima Mathematica, C
 Naturalia, Metaphysica, seu Theologica, & Moralia ignorauit, sicut libri sui indicant
 euidenter? Nonne & omnes Philosophi contradixerunt sibi inuicem in quibusdam, vsque
 ad exitum vite suæ? Quomodo ergo & quando sciuerunt hi omnia? & si non isti, qui alij
 sunt isti? Quod in super ad ijs hominem tunc acturum actionem propriam in omnibus enti-
 bus sicut Deum, mirandum quis vnquam Philosophorum aut aliorum inuentus est talis, nisi
 si fortassis illi famosi, & præclari Prophete, potentes in opere & sermone, omnia vel plurima
 diuinitus cognoscentes, & omnimoda miracula in cælo, in igne, in aère, in aqua, in terra, &
 sub terra, in hominibus, in iumentis, & quali in omnibus entibus diuinitus facientes, sicut
 præmissa circa 32. partem indicant euidenter. Sed hi concorditer profiterentur vitam futuram
 post mortem in gloria & in poenâ: Causa autem huius tui erroris videtur vitia intellectus,
 & anima rationalis in cunctis hominibus, quam & erroneè posuisti, sicut superius est ostensum.
 Nec mirum si ex errore errorum *prosumptus*, imò ex vno errore errores innumeri propa-
 gantur: Causa verò erroris Aristotelis in hac parte fuit error de æternitate mundi, & genera-
 tionis humanæ, quia ideo habuit ponere consequenter tantam animas immortales beatifican-
 das post mortem, non totum compositum ex anima & corpore congregatum. Non enim
 ponebat reditum animarum ad corpora, nec eundem hominem numero rediturum, sicut Platonici
 posuerunt. Nec irrationalis ratio. Simonis quæquam debet turbare resurrectionem
 mortuorum negantis, quia est contra naturam, si pensetur Deus omnipotens totius auctor
 naturæ. Imò si Platonem sequamur, qui Iohanne Sarisburiense 2. Polierat. 12. referente, as-
 serit naturam esse Dei voluntatem, resurrectio mortuorum erit secundum naturam, quia se-
 cundum voluntatem diuinam: Hunc etiam Simonem Dionysius, Irenæus, Hippolytus, O-
 rigenes, & Epiphanius redarguunt & resellunt.
 Ponentes autem reditum Animarum humanarum ad corpora bestialia, sicut Plato, Ouidius,
 & Platonici cæteri, horribiliter deuiant, & monstruosè delirant. Quis enim Philosopho-
 rum ignorat formas proprias naturales, materias proprias secundum proprias condiciones
 dispositas affectas, & alias non intrare? quis etiam nesciat species naturales, puta hominem
 & aliam, specifice essentialiter ab inuicem discrepare per differentias & formas substantia-
 les, essentialiter, substantialiter, & specificè differentes? quomodo ergo forma seu anima ho-
 minis consistit & asinum vel e contra? Si etiam anima hominis exuens corpus humanum sicut
 tim indueret bestiale, & videret idem homo, sub alia tamen forma, sicut fipus Ouidius, sicut
 & Plato videtur sentire, ille homo nunquam moreretur, sed continue viveret, cum vltimum
 reipermanentis non detur, sed primum, quod & Ouidius videtur concedere manifestè. Dicit
 enim omnia mutantur, nihil interit. Sed quis infensatus concesserit hominem, & vniuersaliter
 hominem

terre

terumpat

A hominem nullum mori? Si etiam homo non moritur, non resurget, contra priorem particu-
 lam huius partis. Repugnans quoque Ouidi sibi ipse: nonne infra eodem, sicais;

*Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas
 Omnia destruit, visitatq; dentibus anni
 Paulatim lenta consumit omnia morte.*

Et adhuc inferius versus finem, loquens de Iulio Cesare mortuo, & nobilitate ipsius, & pluri-
 bus alijs mortuis, & seniore nepotum Iulij, & Augusto Cesare tunc viuencibus, ita scribis:

*Nec nisi cum senior similes equauerit annos,
 Acheræas sedes, cognatq; sidera tanget.
 Hanc animam interea caso de corpore raptam;
 Fac iubar, ut semper Capitolia nostra forumq;
 Diuus ab excelsa prospiceret Iulius ade.*

B *Vix ea fatus erat, media cum sede Senatus
 Constitit alma Venus, nulli gerenda suisq;
 Casaris eripuit membris, nec in æra solus
 Passa recentem animam, cælestibus intulit ætris.
 Dumq; tulit numen capere atq; ignescere sensit
 Emisitq; simul, simul euolat alius illa,
 Flammasq; feruq; trahens spatioso limite crinem
 Stella micat; natiq; videns benefacta fatetur.
 Esse suis maiora, & vincti gaudet ab illo.
 Hic sua præferri quamquam veteri acta paternis;
 Libera fama tamen, nulliq; abnoxia iustis
 Inuitum præfert; vnaq; in parte repugnat.
 Sic magni cedit titulus Agamemnonis Atreus,
 Aegæa sic Theseus, sic Pelæa vicat Achilles.
 Deniq; & exemplis ipsos æquantibus vitar,
 Sic & Saturnus minor est Ionæ, Iupiter arces
 Temperat acheræas, & mundi regna triformis.
 Terra sub Augusto est, Pater est & Rector vterq;.*

C *Et in fine de teipso sic dicis.
 Cum uolet illa dies, qua nil nisi corporis huius
 Ius habet, incerti spacium mihi sinat auti.
 Parte tamen meliore meci super alta perennis
 Assra ferar.*

Nonne hic dicis expicere animas bene meritis ad astra leuandas, & ibi in mansionibus sine
 locis differentibus collocandas, secundum differentias meritorum? An plus autem si anima
 humana bene merite, statim ad huiusmodi corpora redeant, & ad huiusmodi vitam mundan-
 am, quando & ubi sufficienter pro meritis præmiantur? non quando gessissent antiqua ha-
 bitacula, priora corpora, & in illis sicut præcedentia manifestant, nec quando ad omnibus
 corporibus separantur, cum statim post illa introeant alia, sicut opinio ista dicit; neque in se-
 cundis corporibus bestialibus, præmiatio namque recta debet præmiatam efficere meliorem,
 sed quis dubitat bestiam esse homine viliozem? Qualis quæso melioratio aut præmiatio re-
 putanda, quod animam tam nobiliam tam perfectam, à corpore tam nobili & perfecto, ad corpus
 tam ignobilius & vilius pelleretur, quod tam nobili creatura in monstrum tam horridum
 veteretur? Quomodo talis transformatio *præmium* & non poenâ potius deputanda: aut si qua-
 lecunque præmium fingi possit, non tamen largissimum, non tamen condignum, secundum sen-
 tentiam proximè & 31. partis & ostensionum ipsarum. Quomodo in super Iustus Deus, qui
 ratione magistra nos docet, ipsum esse à nobis super omnia diligendum atque colendum, in-
 tantum quod pro quantum scung; bonis aut malis, non debemus ipsum scienter offendere quo-
 ummodo, sicut 30. partem ostenditur, pro tanto amore tantoque cultu, tam paruum & paruum
 premium eis reddere contra 31. partem. Quomodo etiam verax Deus, qui secundum doctri-
 nam eandem 30. vult seipsum diligere & colere ab hominibus, finaliter propter ipsum, non seip-
 sum sed aliud in finale premium eis reddere, aliud inquam incomparabiliter minus ipso, & quali
 nihilum & inane? quomodo talis beatificatur plenarie? quomodo eius desiderium satiat?
 sicut superius est argutum. Nec anime humanæ virtuosè viuencis, alia corpora humana ita-
 tum ingresse ad vitam mundanam sic beatificantur ad plenum. Redeunt enim ad laborem
 solitum & dolorem, ad statum merendi nouiter & peccandi, ad ærumas & miseras consuetas.
 Sed

meritum

Sed

